

Securitate omnibus veniens, eorumque familiaribus cedit.

§.21. Et ne ad tantum laudabile, & necessarium opus accedere debentes, aliquibus de causis, seu figmentis, ab accessu ad dictum Concilium Lateranen, quomodolibet retrahantur, omnibus, & singulis, in Congregationibus Conciliorum generalium adesse solitis, & ad dictum Concilium Lateranen venientibus, eorumque servitoribus, & familiaribus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel nobilitatis existentibus, ecclesiasticis, & secularibus, pro se, & bonis eorum quibuscumque per civitates, terras, & loca terrestria, & maritima dictae Romanae Ecclesiae subiecta, ad Concilium Lateranen ad Urbem huiusmodi veniendi, & in ea morandi, & libere consistendi, & ab ea quotiens videbitur recedendi, etiam post quatuor menses post dicti Concilii Lateranen conclusionem, & dissolutionem, liberum, tutum, & securum saluum conductum, ac plenam, & omnimodam securitatem de consilio, & potestate praemissis, damus, & concedimus, aliosque salvos conductus, & securitates habere cupientibus, dare pollicemur, eosque benigne, & caritative tractabimus, & suscipiemus.

Officialibus suis omnibus observantiam d. securitatis praecipit.

* Constitucionibus.

Decretum irritans contrarium, huic Bullae apponit.

§.22. Mandantes sub indignationis nostrae, & alii arbitrio nostro intelligendis poenis, omnibus, & singulis gentibus nostris armigeris, equestribus, & pedestribus, ac arcium nostrarum Castellanis, civitatum, terrarumque & locorum dictae Romanae Ecclesiae subiectorum Legatis, Gubernatoribus, Recloribus, Locatenentibus, Potestatibus, officialibus, & vassallis, ut non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, legibus Imperialibus, statutis quoque & consuetudinibus municipalibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis, quae salvo conductui, & securitati praemissis in aliquo derogare, seu illos quomodolibet impedire possent, etiam si talia forent, de quibus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per generales clausulas id importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda foret, illarum tenores pro expressis habentes, venientes ad Concilium Lateranen huiusmodi, libere, tute, & secure transire, morari, & recedere permittant, & permitti faciant, ne tantum tamque laudabile, & necessarium Concilium Lateranen distratur, & ut ad illud venientes, tute & in pacis tranquillitate vivere, dicere, & expedire valeant, quae Omnipotentis Dei honorem concernunt, totiusque Ecclesiae sanctae statum.

§.23. Decernentes nihilominus irritum & inane, quicquid contra indicationem Concilii Lateranen. per nos indicti huiusmodi, seu ad impedimentum, praedictum, aut dilationem ejusdem, per schismaticam conventiculam, & Ecclesiam malignantium praedictas, seu quemvis alium, quavis auctoritate, quovis ingenio, aut qualitate colore scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.24. Insuper ut praemissa omnia, & singula ad omnium, ad quos spectat, notitiam, & cognitionem deveniant, omniumque quae in praesentibus literis continentur, certa, & indubitata notitia habeatur, nullusque praemissorum ignorantiam iuste pretendere possit, nec se legitime excusare, cum etiam ad intimandum aliquibus personaliter in praesentibus literis comprehensis, tutus non pateat accessus, literas praedictas, volumus, & decernimus praesentes literas nostras, per aliquos Curiae nostrae Cursos, vel Notarios publicos, in Basilica Principis Apostolorum, & Ecclesia Lateranensi, hora divinorum, dum ibi multitudo populi ad divina audiendum convenire, & congregari consuevit, publice, ac alta, & intelligibili voce, legi, & publicari, & congregari consuevit, publice, ac alta, & intelligibili voce, legi, & publicari, & dictarum Ecclesiarum portis, sive valvis, & in acie Campi Florae, & Cancellariae Apostolicae affigi, & ibidem per aliquod temporis spatium dimitti debere, ut ad singulorum notitiam, publicamque notionem devenire possint.

§.25. Transumptisque illarum, manu publicorum Notariorum factis vel subscriptis, sigilloque alicujus Praelati munitis, fidem indubiam adhiberi.

§.6. Omnesque & singulos in illis comprehensos, & ad quos pertinet perinde arctari, & constringi, ac teneri, & obligari ad observantiam omnium, & singulorum in eis contentorum, cuiuscumque gradus, & dignitatis existant, ecclesiastica vel mundana, post lapsum unius integri mensis a data praesentium numerandi, in omnibus & per omnia, & perinde ac si personaliter, & in propria persona intimatae fuissent, & eis personaliter praesentatae, praesentium tenore decernimus, statuimus, & declaramus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c.

Si quis autem, &c. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae, millesimo quingentesimo undecimo, XV. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno octavo.

Ego Julius Catholicae Ecclesiae Episcopus subscripsi.

Dominus mihi adiutor, non timebo quod faciat mihi homo.

Ego Raphael Episc. Ostien. Card. Sancti Georgii Camerarius subscripsi. Ego Dominicus Episcopus Portuen. Card. S. Marci subscripsi. Ego Jacobus Episcopus Albanen. Card. Arboren. subscripsi.

Cardinales Presbyteri.

Ego Nicolaus Card. tit. S. Prisca subscripsi. Ego F. Card. de Claramonte manu propria.

Ego

Et hanc Bullam publicari mandavit in Urbe.

Transumptis eius credi jubet.

Effectum dictae publicationis declarat.

D. P. A. S. 13. Julii.

Papae subscriptio.

Cardinalium subscriptiones.

Ego Marcus tituli Sanctae Mariae Transtiberim Card. Senogallien. Ego Robertus tituli S. Anastasiae Presbyter Card. Nanneten. Ego Leonardus tit. S. Susannae Presbyter Card. subscripsi. Ego Christophorus tit. S. Praxedis Presbyter Card. subscripsi. Ego Sixtus tituli S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Vice-Cancellarius subscripsi. Ego Christophorus Eboracen. tit. S. Petri & Mar. Presbyter Card. subscripsi. Ego Antonius tit. S. Vitalis Presbyter Card. subscripsi. Ego Petrus tit. S. Eusebii Presbyter Card. subscripsi. Ego Achilles tituli Sancti Sixti Presbyter Cardinalis Bononien. subscripsi. Ego F. tit. S. Clementis Presbyter Card. subscripsi.

Diaconi Cardinales.

Ego Jo: S. Mariae in Domnica Diaconus Card. de Medicis, manu propria subscripsi. Ego Alexander S. Eustachii Diac. Card. de Farnesio, manu propria subscripsi. Ego Ludovicus S. Marię in Cosmedin. Diac. Card. de Aragonia manu propria subscripsi. Ego M. S. Marię in Porticu Diaconus Card. Cornelius, manu propria subscripsi. Ego B. S. Adriani Diac. Card. subscripsi. Ego Alphonfus S. Theodori Diac. Card. Petrucius subscripsi.

* Cornelius.

Anno a Nativitate Domini 1511. indictione decimaquarta, die vero Veneris 25. mensis Julii Pontificatus Sanctiss. D. N. Julii divina providentia Papae II. anno 8. retroscripta litera Apostolicae convocationis Concilii generalis, publicata, & affixa fuerunt in valvis S. Jacobi Hispanorum de Urbe, dum celebrabantur divina, ubi magna multitudo convenerat, tam Curialium quam Officialium, & Romanorum, propter festum solemne, quod in eadem Ecclesia celebrabatur. Eadem die in vespere dum celebrabantur divina publicata, & affixa fuerunt in valvis Principis Apostolorum de Urbe, die vero sequenti Sabbati, retroscriptam Bullam in Basilica Principis Apostolorum de Urbe, hora Missae, dum celebrabantur divina, & multitudo copiosa, assisteret, Ego Petrus Mengivar praefati D. N. Papae Cursor, alta, & intelligibili voce coram omni populo dictam bullam de verbo ad verbum legi, lectamque ad valvam dictae Basilicae affiximus, & per spatium unius horae affiximus dimissimus durante Cancellaria. Eodem die, in Ecclesia S. Joannis in Lateran. hora vespere, dum celebrabantur divina, Ego Petrus Mengivar S. D. N. Papae Cursor, dictam bullam, alta & intelligibili voce legi, lectamque ad valvas dictae Ecclesiae affiximus, & publicavimus, & per spatium unius horae, affixam dimissimus. Eadem die retroscriptam Tom. III. Par. III.

bullam publicavimus, & affixam dimissimus, per spatium duarum horarum, in acie Campi Florae, ut moris est, per nos Honuphrium Balestarium, Petrum Mengivar, & Joannem Bernardi, praefati D. N. Papae Cursos, & ita fidem facimus, & manibus propriis scripsimus, & subscripsimus. Ita est Honuphrius Balestarii Cursor. Ita est Petrus Mengivar Cursor. Ita est Joannes Bernardi Cursor.

XXXIV.

Erectio Cathedralis Ecclesiae Salutarum in ditione Ducis Sabaudiae, cum privilegio, & indulgentiarum largitione.

Ex Regest. in Archiv. Vat.

JULIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Pro excellenti praerogativa Sedis Apostolicae, in qua post Beatum Petrum Apostolorum Principem quamquam imparibus meritis, pari tamen auctoritate constituti sumus in agro irriguo militantis Ecclesiae novas Episcopales Sedes, Ecclesiaeque plantare Romani Pontificis dignum arbitramur, ut per novas plantationes populorum augeatur devotio, divinus cultus effloreat, subsequatur animarum salus, & loca humilia illustrentur: idque nos eo libentius agimus in his locis, in quibus benedicente Domino Incolas & alios Christiani fideles multiplicasse noscuntur, ut propagatione novae Sedis, & assistentia honorabilis Praefuli cum decenti ministrorum numero fideles ipsi in devotione persistentes, & etiam devotionis huiusmodi augmentum suscipientes aeternae felicitatis praemium Deo eorum pio proposito adjuvante facilius consequi mereantur.

Proximum:

§.1. Sane cum oppidum salutarium Taurinensis Dicecesis insigne, & Marchioniae, aliusque nobilibus & populo repletum, & in eo collegiata Ecclesia etiam insignis sub invocatione Beatae Mariae, in ipsa Ecclesia septem dignitates, quarum prima Decanatus inibi dignitas principalis, & duodecim canonicatus, & totidem praebendae pro totidem personis canonicis fundati, erecti, & instituti sunt, in ipso quoque oppido plures aliae Ecclesiae, in quibus Divina officia celebrantur, & in ipso oppido personae politicae, bonisque moribus ornatae sint, adeo ut ipsum oppidum nomine & titulo Civitatis decorandum, & ipsa Collegiata Ecclesia Beatae Mariae in Cathedrali Ecclesia erigenda sit, quod etiam dilecta in Christo filia nobilis mulier Margarita de fuco moderna Marchionissa Salutarium suo, & dilecti filii Nobilis Michaelis Antonii Marchionis Salutarium ejus nati, & in minori aetate constituti nominibus hoc a nobis summe petentes, & nobis super hoc humiliter supplicantes.

Oppidum salutarium insigne in eoque Collegiata Ecclesia cum Septem Dignitatibus.

T t 2

§.2. Un-

§. 2. Unde nos præmissis & nonnullis aliis rationabilibus causis moti, volentes oppidum prædictum, & illius incolæ, eorum meritis id exigentibus, potioribus favoribus attollere, & honorabili munere confovere, habita super hoc cum Venerabilibus fratribus nostris deliberatione matura, de ipsorum fratrum consilio, & de Apostolica potestatis plenitudine ipsum oppidum in Civitatem Salutiarum, ac præfatam Collegiatam Ecclesiam Beatæ Mariæ in Cathedrali Ecclesiam cum prægredientiis, honoribus, & privilegiis, quibus aliæ Cathedralis Ecclesie de jure, vel consuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, seu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum ad Dei laudem totiusque Ecclesie Triumphantis gloriam, & fidei Catholice exaltationem, auctoritate Apostolica tenore presentium erigimus, creamus, & instituiamus, ipsumque oppidum titulo Civitatis insignimus, ac Ecclesiam ipsam sic in Cathedrali Ecclesiam erectam nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus, & Sedi Apostolicæ immediate subiectam esse volumus & decernimus, eamque & illius Episcopum pro tempore existentem, a quorumcumque Metropolitanorum, seu Archiepiscoporum jurisdictione, superioritate penitus & omnino eximimus, dictamque Civitatem, & illius districtum & territorium, ac quinquaginta quinque in dicta Taurinensi, videlicet Carmagnolum, Dragonetium, Revellum, Urezolum, Manta, Villam novatam, Arpeuscum, Costigolum, Venaltam, Brogastium, Isacham, Melum, Fraxinum, Rure, Sanctum Petrum, Vallermulam, Martignana, Rivum frigidum, Gambastha, Sanctum frontem, Payfanum, Uacinum, Hortariam, Crizolum, Castellarium, Pagnum, Bronzellum, Cervagnasum, Gerbolam, Villare Sanctorum Victoris & Constantii, Roccham Brunam, Sartignanum, Moscherias, Pernes, Castrum Delphinum, Bellinum, Pontem cavalem, Sanctum Damianum, Paglerium, Alina cellas, Stropium, Marmor, Taurium, Patrum, Urolinum, Acelum, Sanctum Michaellem, Elenam, Montem malum, Valgrana, Montem orovium, Pratum de Leves, Castrum magnum, & alia decem in Albenfi, scilicet Dolianum, Belvedere, Mursalam, Montem Barcherium, Bonum vicinum, Rudium, Zifsonum, Lequium, Cameyranam, Castellionum, & alia quatuor castra sive oppida in Astenfi Diocesisbus respective consistentia, videlicet Falserrariam, Insulam bellam, Baldeferium, Trenovorium, ad mensas Taurinenses, & Albensem, ac Astensem, seu Episcopos Taurinensem, Albensem, & Astensem respective nunc & pro tempore existentes, ut de eorum Diocesisbus prædictis respective pertinentia ab eisdem Mensis Episcopalibus, Taurinensi, Albenfi, & Astenfi dismembrantes, penitus, & perpetuo separantes eidem Ecclesie, &

Oppidum in quo in Civitate, & Ecclesiam Collegiatam, in Cathedrali emegit.

Ecclesiam sic erectam in Episcopatum Sedi Apostolicæ subiecte immunitate.

Dotem eis constituit.

mensæ Episcopali Salutiarum pro illius Dicecesi in Spiritualibus, & temporalibus, prout ad Taurinensem, Albensem, & Astensem Episcopos pertinebant, perpetuo applicamus, & appropriamus, ac Clerum & populum Civitatis & Diocesis ac Ecclesie Salutiarum prædictarum curæ & jurisdictioni Episcopi Salutiarum pro tempore existentis quoad legem Dioecesanam & jurisdictionem perpetuo subijcimus, & submittimus.

§. 3. Et quia Monasterium Monialium Sancti Antonii Cisterciensis Ordinis dictæ Taurinensis Diocesis Campestre existit, & Moniales in eo sub regularibus institutis, & religiose prout convenit, non vivunt, ac Decanatus in ipsa sic erecta Ecclesia dignitas principalis existebat, & Decanus pro tempore existens Mitra, & Baculo, & aliis Pontificalibus insigniis utebatur, ipsum Decanatum tam in eadem Collegiata, quam in ipsa sic in Cathedrali erecta Ecclesia de consensu illius moderni Decani, & in ipso Monasterio dignitatem Abbatifalem, & Ordinem ipsum Cisterciensem, penitus, & omnino supprimimus, & extinguimus, ipsorumque Monasterii, qui septingentorum, & Decanatus, qui centum florenorum auri de Camera fructus, redditus, & proventus secundum communem estimationem valorem annum ut asseritur, non excedunt, ac etiam infrascripta immobilia bona, videlicet prædicia præfati Michaelis Antonii Marchionis, & ad eum spectantia sive testata cum eisdem prædiis, Cassinis, & ædificiis suis super finibus carmagola, ubi dicitur ad testata Domini Marchionis, sive ad podium Sancti Martini Tornaturum, sive Stricorum, Quadringentarum mensuræ illarum partium sub suis cohærentiis ac iuribus, & pertinentiis, quæ sunt redditus ducatorum ducentorum, pro augmento dotis mensæ Episcopalis Salutiarum huiusmodi, de consensu dictæ Margaritæ Marchionissæ Matris, Tutricis, & administratricis præfati Michaelis Antonii Marchionis, cum illorum omnibus iuribus & pertinentiis suis, eidem mensæ Episcopali Salutiarum etiam perpetuo applicamus & appropriamus, ita quod liceat ex nunc Episcopo Salutiarum, qui erit pro tempore, corporalem possessionem bonorum Monasterii, & Decanatus ac prædictorum, & illorum iurium omnium perse, vel alium, seu alios propria auctoritate libere apprehendere, & translatis dilectis in Christo filiabus Abbatissa & Monialibus dicti Monasterii ad aliud, vel alia Monasteria ejusdem Ordinis, ubi benevolas invenerint receptrices, seu sese transferre, voluerint, reservata eis quoad vixerint in dicto Monasterio, & assignata congrua portione ex fructibus dicti Monasterii pro earum victu & vestitu, ac necessitatibus, ad bonum & pium arbitrium Generalis Ordinis ipsorum, & dicti Episcopi Salutiarum, qui pro tempore erit, reliquos fructus bonorum tam Monasterii, quam Decanatus, & prædiorum prædictorum in suos, & mensæ Episcopalis Salutiarum prædictarum usus & uti-

Nostilla supprimi Beneficia, & Mensæ Episcopali un.

& utilitatem convertere, cujusvis licentia super hoc minime requisita.

§. 4. Et insuper statuimus, & decernimus, quod Archidiaconatus, qui in dicta Ecclesia Collegiata secunda existebat, in ipsa nunc erecta Cathedrali post Pontificalem major, & alia dignitates ordine suo similiter in ipsa Cathedrali Ecclesia, duodecimque Canonicatus, & totidem Præbendæ & alia Beneficia ipsius Collegiate Ecclesie de cetero sint in ipsa sic erecta Cathedrali Ecclesia, & Archidiaconatus, & aliæ Dignitates, ac Canonicatus & præbendæ, ac Beneficia Ecclesiastica in ipsa antea Collegiata Ecclesia, nunc dictæ Cathedralis Ecclesie erectæ nominentur, & sint & esse censeantur.

Dignitates in nova Collegiata ordinat.

Obstantibus ditrogat.

§. 5. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, & indultis, Monasteriis & Ordini Cisterciensi, necnon Taurinensi, Albenfi, & Astenfi Episcopis præfatis sub quibuscumque tenoribus & exprellione verborum concessis privilegiis, quibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus præsentibus specialis, & expresse mentio habenda foret, illis alias in suo robore permanfuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 29. Octob. 1511. An. VIII.

Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo undecimo, quarto Kalendas Novembris, Pontificatus Nostri Anno octavo.

XXXV.

Declaratio jurisdictionum Vicarii Papæ, Gubernatoris, Auditoris Camera, Senatoris, aliorumque Judicum Curie Capitolis, ac Marescalli Urbis.

JULIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ædita A. D. 1512.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem, ex debito sui pastoralis officii prospicere, ut ubique, præsertim in hac Alma Urbe (ad quam pro justitia totus Orbis confluit) ne propter varios diversorum iudicum, & tribunalium concursus, ad varias, & diversas procedendi formas præsertim pauperes litigantes, in eorum bono jure lædantur; sed ut cuilibet jus suum explicite, quantum possibile sit, reddatur, & jurisdictiones jus reddentium ita distinctæ sint, ut nulla confusio, & perplexitas oriri possit.

Causa huius Consuetudinis.

§. 1. Sane (prout ex multorum querela, ac nuper a dilectis filiis nobilibus viris Ludovico de Mattheis, & Mariano de Castellanis, ac Lutio de Lutiis Conservatoribus Romanorum civium & Cam. præfatæ Urbis, necnon Ludovico de Cencis, Priore Capitum Regionum, & Paulo de Planca nostri Consistorii & ipsorum Conservatorum Advocato) accepimus, adeo a certis temporibus citra, diversa iudicum

tribunalia in Urbe insurrexissent, adeo etiam ipsos iudices, tam ordinarios quam delegatos, inter se concurrere, & in procedendo varium modum observare, ut sæpe litigantes ipsi confusione quadam perterriti, causas ipsas deferere cogantur, aut illas inchoare non audeant, sæpe etiam adeo celeri iudicio expediri, ut præcipitari quodammodo videantur, in magnum ipsorum litigantium præjudicium, ac justitiæ & officii nostri detrimentum.

Declaratio fori civium, & incolarum.

§. 2. Nos igitur in præmissis providere volentes, ac cupientes ne litigantes ipsi, tam in confusione tribunalium huiusmodi, quam etiam in expensis, & eorum bono jure graventur, quodque etiam quilibet forum suum intelligat, & sequatur, inherentes etiam vestigiis fel. rec. Sixti Papæ IV. patris, & prædecessoris nostri, qui, ut etiam accepimus quosdam desuper constituit ordinationes, in volumine Statutorum dictæ Urbis descriptas, Motu proprio, non ad ipsorum Conservatorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, statuimus, & ordinamus, quod omnes incolæ Romæ habitantes (dummodo non sint campores, & notabiles mercatores, Romanam curiam sequentes, Oratores Principum & aliarum Communitatum, familiares Cardinalium, continui tamen commensales, vel officiales Romanæ Curie, dummodo Romani non existant, aut curiales Romanam curiam sequentes, & in illius usu existentes) qui omnes in eorum foro, sæculares conveniantur in curia Capitolis, aut coram aliis officialibus secularibus Urbis, prout ad eorum officium spectat, & non aliter.

Clericorum, que Romane sunt.

§. 3. Quodque omnes Clerici Romani, conveniantur coram Vicario nostro in spiritualibus in Urbe, aut aliis Clericis, & Officialibus ecclesiasticis Urbis, ad quos spectat.

Laicorum etiam delinquentium, & Curialium.

§. 4. Ac quod de omnibus excessibus factis in Urbe, ratione territorii, laici puniantur per officiales laicos Urbis, Clerici vero Romani per Vicarium præfatum. Item quod laici qui sequuntur curiam, tam mares quam femina, & non alii, conveniantur in curia Marescalli, dummodo non sint personæ prædictæ videlicet campores, & notabiles mercatores Romanam curiam sequentes, Oratores Principum, & Communitatum, familiares Cardinalium laici, vel officiales Romanæ Curie etiam Curiales, qui indifferenter conveniantur, dumtaxat coram Auditore Camere, tamquam iudice exemptorum in civilibus, in criminalibus vero, quoad laicos eandem Curiam sequentes, inter ipsum Auditorem, & Marescallum, & Gubernatorem, sit locus preventionis, dummodo non agatur de capitali, vel mutilatione membri, quo casu Auditor non se intromittat, juxta alias nostras literas desuper expeditas.

Appellatur a Marescallis ad A. C.

§. 5. Volumus etiam quod ab eodem Marescallo appelletur ad præfatum Auditorem Camere, & quod iudex deputandus per ipsum Marescallum, non possit stare in officio

officio ultra duos annos, & in fine cuiuslibet anni debeat syndicari per Syndicum per nos deputandum, & repertus culpabilis, puniri, in reliquis serventur literę nostrę de iure edita.

Gubernatoris Urbis iurisdictione.

§. 6. Insuper volumus, & mandamus, quod Vicecamerarius five Gubernator in Urbe, nullum tribunal cognitionum causarum privatarum teneat, neque per se, neque per alium, seu ad eum venientem, ad suum iudicem remittat, & sit superintendens, ut quilibet in premissis officiis, suos terminos observet, & contrafacientem puniat, aut nobis referat, & debeat carceres omnium premissorum visitare, una cum aliis, ad id per nos per alias nostras literas deputatis, & de officialium omnium (maxime Notariorum malefactorum) transgressionibus cognoscere. In concernentibus autem statum, aut pacem, & quietem Civitatis, & Romanę Curię, quantum videat necesse esse, officialem ad quem spectat, juvare, & omnia pro posse ad pacem reducere, necnon causas querelarum contra Barones, ac capitales, videlicet, mortis naturalis, & brigarum, una cum Paceris, iuxta formam Statutorum Urbis, & treguarum, seu securitarum, aut pacis ruptarum, etiam per seipsum. Item mercedem salariorum, quas causas mercedum sine triennali, & scriptura, summarie, manu regia, cognoscere possit, & terminare, iuxta formam dictorum Statutorum, vel juris communis, ubi Statuta deficerent, & in quibus omnibus, locus sit preventioni inter ipsum, & Senatorem, & si concurrant, Senator preferatur, Notarii vero Gubernatoris soli per se ipsos, & non per substitutos, officium exercent sine Tribunali, prout alias Ludovicus Sabinus, & Marius Ceretanus tempore eiusdem Sixti predecessoris exercere solebant, qui etiam registra aliqua non faciunt, ipseque Gubernator unum tantum Contestabilem seu Capitaneum retineat cum 25. satellitibus, & sine dicto Contestabili, executiones ipsius Gubernatoris fieri non possint. Volumus etiam, quod idem Gubernator vigore obligationum in forma Camera Apostolicę, non possit aliquem excommunicatum publicare, nec censuris Ecclesiasticis in aliquo casu uti, prout antiqui Gubernatores non sunt uli, & censura per eum super hoc late, sunt ipso iure nullę. Similiter volumus, quod Baricellus sit merus executor, & nullum iudicare valeat; quodque executiones in capitalibus per eum fiendę, fiant in Capitolio, prout ab antiquo consuetum fuit, nisi aliter pro temporis, & maleficii qualitate, & gravitate visum fuerit expedire. Possit tamen repertos in fragranti crimine punire iuxta formam Brevis facultatis sue.

Officiales Urbis sicut iudicantur.

§. 7. Item volumus, quod omnes officiales, quicumque sint, etiam Gubernatoris, & Auditoris Camera predictorum, & reliqui alii, & etiam ipse Baricellus, in fine cuiuslibet anni, syndicari debeant per aliquos per nos deputandos, iuxta formam earundem literarum nostrarum, ipseque Gubernator teneatur pro se, & eius officia-

libus, & in principio eius officii, debeat super hoc cavere. Similiter Auditor Camera prefata, in fine cuiuslibet anni, teneatur reddere rationem coram eisdem deputandis, de gestis per se, & eius Locumtenentem.

§. 8. Volumus etiam, ut litibus finitius imponatur, quod tam a iudicibus Capitolinis, quam etiam quibuscumque aliis, in causis quę alias essent de foro Capitolino, appelletur ad Capitaneum Urbis, vel alium per nos deputandum, dummodo quoad causas dicti fori, in Capitolio tribunal teneat, quod etiam in curia Gubernatoris eiusdem pendentibus, & quę pendere contigerit, habere locum decernimus, a quo iudice appellationis appellari non possit, nisi prout, & quantum Statuta huiusmodi in causis curię Capitolii permittunt.

Appellatio in Curia cap. ad quem de iure.

§. 9. Postremo mandamus in omnibus curiis Ordinariis Urbis, & in omnibus solutionibus Notariorum, executorum, etiam pro executionibus fiendis per ipsum Baricellum, ac pro mercedibus quoruncumque aliorum officialium, servari tabulam marmoream in Capitolio affixam, & ubi in aliquibus casibus illa deficeret, mandamus servari Statuta Urbis. Volumus etiam, quod pro quibusvis sigillationibus, presertim mandati de relaxando incarceratos, & aliis quibusvis apodictis nil solvatur, nisi prout in dicta tabula continetur, seu in dicta Curia Capitolii servari consuevit, ita tamen, quod pro relaxatione innocentium nil penitus solvatur per ipsum captivum, sed per eum, ad cuius instantiam forsitan captus fuit, maxime in capturis pro suspecto, & fugitivo, quo casu novas reformationes dictę Urbis servari volumus.

Executorum merces declaratur.

§. 10. Decernentes, in Urbe prefata, nulla alia Ordinariorum iudicum tribunalia teneri posse, nec iurisdictiones causarum exerceri, nisi in locis predictis. Quodque sententię tam definitivę, quam interlocutorię, necnon decreta, executiones, mandata, processus, censura, & quicquid secus contra premissa fieret, nullius fore roboris, vel momenti.

Alia Tribunaia iudic. Ordinariorum prohibentur.

§. 11. Presentibusque derogari non posse nec derogatum censeri, etiam per nos, aut successores nostros, nisi de nominibus, & cognominibus litigantium, iudicum, & interesse habentium, ac ipsarum presentium de verbo ad verbum, totalis, & specialis mentio fiat.

Clausula pretervativa.

§. 12. Mandantes Gubernatori, Senatori, Auditori Camera, Marescalco, Baricello, eorumque iudicibus, & executoribus prefatis, necnon quibusvis aliis personis, sub excommunicationis late sententię, ac centum ducatorum poenis totiens quotiens contra premissa, seu aliquod premissorum fecerint, incurrendis, & in eorum sindicatibus exigendis, ne contra ordinationes, statuta, & voluntatem nostram huiusmodi contravenire, aut aliquid attentare audeant.

Pena contravenientium.

§. 13. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis pri-

Derogatio contrariorum.

privilegiis, etiam fori, ac exemptionibus indultis, et facultatibus, quibusvis personis, etiam Vicecamerario, seu Gubernatori prefatis, aut Collegiis, vel Confraternitatibus, etiam quavis causa, et motu proprio, et ex certa scientia, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriis derogatoriis fortissimis, etiam quibus derogari non possit, nisi sub certis modo, et forma, per nos, et Sedem Apostolicam, concessis, et concedendis, ceterisque contrariis quibuscumque.

D.P.A.9. die 28. Mart.

Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę millesimo quingentesimo duodecimo, quinto Kal. Aprilis Pontificatus Nostri Anno nono.

XXXVI.

Reintegratio Incliti Populi Romani ad iurisdictionem, quam eius Conservatores in Urbe & ipsius populi Castris, presertim super Consulibus Artium & Annona, hactenus exercuerunt, necnon & ad superioritatem in Civitate Tyburtina.

Edicta An. D. 1512.

JULIUSEPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

S I nostrarum civitatum, & aliorum locorum quorumlibet iurisdictiones ac jura libenter illata servamus, eo magis Romani Populi iurisdictiones, ac jura predicta, non solum servare, sed augere debemus, quo peculiaris Populus noster existit, cuiusque officia nobis, ac Sedi Apostolicę, sincera, ac devota fide, continue exhibentur.

Causa huius reintegracionis.

§. 1. Expofuerunt siquidem nobis nuper dilecti filii, nobiles viri, Ludovicus de Mattheis, Marianus de Castellanis, Lucius de Lucis, Romanorum civium, & Camera Urbis Conservatores, ac Ludovicus de Centis Capitum Regionum Prior; necnon Paulus de Planca nostri Consistorii, & prefatorum Conservatorum Advocatus, quod licet a tanto tempore, cujus initii memoria in contrarium non existit, inter aliquas paucas civitates, & oppida, civitas Tyburtina magna cum fide, sub eorum iurisdictione, ac dominio remanserit, habeantque cives dictę Urbis nonnulla Capitula cum populo Tyburtino, superioritatem, ac gubernium, seu iurisdictionem in eos concernentia, quę licet hactenus observata fuerint, tamen quia bona memoria Petrus Tituli Sancti Ciriaci in Thermis Presbyter Cardinalis Reginus, qui ob partialitates ipsius Civitatis Tyburtinę componendas, se intromiserat, & deinde paulatim progrediendo se illorum protectorem asserendo, iurisdictionem dictorum civium Romanorum visus est occupare, in non modicam ipsorum Romanorum civium honoris ac dignitatis detractionem. Licet etiam prefati Conservatores in Urbe præ-

dicta habeant quasdam iurisdictiones, ac facultates eorum officium concernentes, maxime circa Annonam, & Consulatus Artium, necnon gabelas, & alia diversę, prout in eorum consuetudinibus, ac Statutis per Romanos Pontifices, presertim felicis memorie Paulum Secundum, & in novis Reformationibus per pię memorie Alexandrum Sextum predecessores nostros confirmatis continetur. Nihilominus quia sepe per diversę mandata, presertim dilectorum filiorum Clericorum Camera Apostolicę, in administratione officii eorum impediuntur, etiam citra ipsorum Conservatorum dignitatem & honorem, & non sine publicę utilitatis detrimento. Ea propter Conservatores, Prior, & Paulus prefati, nobis humiliter supplicarunt, ut super premissis, ne de cetero impediiri valeant, eis de remedio opportuno providere dignemur.

Reintegratio superioritatis Civitatis Tyburtinę.

§. 2. Nos igitur qui Romanos Cives predictos, etiam dum in minoribus eramus, semper toto corde dileximus, considerantes etiam Summi Pontificis proprium fore, jus atque honorem suum cuiuslibet illarum servare, dictorum Statutorum, Capitulorum, ac consuetudinum tenores & formas, presentibus pro expressis habentes, eisdem Conservatoribus, nunc & pro tempore existentibus, ac ipsi Populo Romano iurisdictionem, superioritatem, & preeminentiam, quas iuxta eorum consuetudines, statuta, seu conventiones, & pacta predicta, habere noscuntur in dicta Civitate Tyburtina, Apostolica auctoritate, tenore presentium, restituimus, & reintegramus, ipsosque Cives Tyburtinos eisdem Civibus Romanis, ut prius, subici, & subiectos fore.

Jurisdictione que in Urbe, & Castris Populi Romani.

§. 3. Quodque in dicta Urbe ipsi Conservatores, curam, iurisdictionem & facultatem, quas iuxta eorum Statuta, presertim novarum reformationum, ac consuetudinum predictorum, habere noscuntur, exercere & exequi libere & licite valeant, auctoritate & tenore predictis, volumus & declaramus. Decernentes ut Conservatores prefati in dicta Civitate Tyburtina, per aliquos Protectores, etiam si essent Sanctę Romanę Ecclesię Cardinales, ac in dicta Urbe, & extra eam in eorum oppidis, & castris, in eorum iurisdictione & officio, per cuiusvis mandata, presertim predictorum Clericorum Camera Apostolicę, impediiri non possent, nec debere, ac mandata huiusmodi etiam sub excommunicationis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, censuris, ac quibusvis poenis, irrita & inania, nulliusque roboris vel momenti fore, nisi ubi dicta mandata manu nostra propria, aut Camerarii nostri, pro tempore subscribi contingat.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac privilegiis, facultatibus, & indultis, etiam cum quibusvis clausulis derogatoriis fortissimis et insolitis, quibusvis personis concessis et concedendis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Nulli ergo &c.

Dæ

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo duodecimo, quinto Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno nono.

XXXVII.

Gratiæ, Immunitates, & privilegia Canonorum Regularium Congregationis S. Salvatoris Ordinis S. Augustini.

Alia de hac religione notavi in Const. 2. Gregorii XII Excitat. pag. 409. T. III. Par. II. ibi videas.

Edicta An. D. 1512.

JULIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Hic Pontifex dum erat Cardinalis, Protector fuit hujus Congregationis.

Inter ceteros in militanti Ecclesia veluti Regina in vestitu deaurato circumdata varietate plantatos Ordines, ad dilectos filios Congregationem Sancti Salvatoris, Ordinis Sancti Augustini, Canonorum Regularium, qui sub suavi jugo Religionis, & regularium institutionum observatione sedulum ipsi Salvatori nostro Domino Jesu Christo in humilitatis spiritu præbent famulatum, dirigentes nostræ considerationis intuitum, & attendentes quod nos, dum Cardinalatus honore fungebamur, Ecclesiam Sancti Petri ad Vincula in Urbe cum illi annexa Ecclesia Sanctæ Agnetis extra muros dictæ Urbis, de licentia Sedis Apostolicæ, eidem Congregationi (cujus protectionem aliquandiu gessimus, & illius profectum salubrem quantum potuimus procuravimus) concessimus, & multa pro ejusdem Ecclesiæ Sancti Petri, & edificiorum ejus reparatione, & reedificatione, ac pro commoditate Prioris, & Canonorum inibi pro tempore divinis beneplacitis insistentium, etiam postquam ad Summi Apostolatus apicem fuimus divina favente clementia assumpti exposuimus, dignum existimamus illa Congregationi & Canonici præfatis, ipsiusque Congregationis Monasteriis, locis, & personis concedere, per quæ possint ipso Salvatore eis semper assistente, gratum in ejus beneplacitis exhibere famulatum.

Nunc ordinationes & privilegia d. Congregationis confirmat.

§.1. Sane cum sicut accepimus aliis plura immunitates, & diversa privilegia, gratiæ, favores, & indulgentia, spiritualia, & temporalia per diversos Romanos Pontifices prædecessores nostros, præfata Congregationi, illiusque Monasteriis, locis, personis, bonis, & rebus concessa fuerint, Nos cupientes, ut dilectus filius modernus, & pro tempore existens Prior generalis dictæ Congregationis, & Canonici præfati, & eorum curæ commissi, eo potius possint Domino in ejus beneplacitis famulari, quo cognoverint hujusmodi privilegia, & immunitates pro illorum subsistentia firmiori, etiam nostræ approbationis robore communiri, ac etiam Prioris generalis, & Canonorum, ac Congregationis hujusmodi commoditatibus, et

augmento statique prospero, et felici, quantum cum Deo possumus, adjuvante salubriter consulere, ipsosque generalem Priorem, et Canonicos, et Congregationis hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes; Ac omnia et singula Monasteria, tam dictæ Congregationi, quam beneficia Monasteriis dictæ Congregationis unita, annexa, incorporata, et possessa, ac quæcumque alia et singula privilegia, gratias, favores, immunitates, exemptiones, et indulgentia, tam spiritualia, quam temporalia, eidem Congregationi, ac illius monasteriis, locis, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et per quoscumque Romanos Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, et quoscumque alios Christi fideles concessa, illorumque omnium tenores, ac si de verbo ad verbum presentibus infererentur, eisdem presentibus pro expressis habentes, Motu proprio, non ad Prioris generalis, et Canonorum prædictorum, vel alicujus alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, et deliberatione, certa que scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Literas omnes, ordinationes, constitutiones, et consuetudines, quibus ipsa Congregatio regitur, et gubernatur, ac omnia et singula alia privilegia, gratias, favores, immunitates, exemptiones, et indulgentia hujusmodi, auctoritate Apostolica, tenore presentium approbamus, et innovamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, atque omnia et singula inviolabiliter observari decernimus.

§.2. Volumusque quidquid dubii in dictis privilegiis, seu aliquo eorum pro tempore emerferit, id data verborum ambiguitate, et varia peritorum interpretatione, in favorem dictæ Congregationis, et locorum particularium ejusdem interpretari debere, et ubi ipsi in aliquibus redderentur dubij, seu ancipites, secundum bonam æquitatem, ad favorem salutis animarum suarum, illa etiam largissime intelligantur, et interpretentur, non autem secundum juris rigorem, aut Doctorum opiniones vel subtilitates.

§.3. Et cujusvis particularis monasterii seu loci, tam uniti quam uniendi, presentis et futuri, dictæ Congregationis privilegia, concessiones, remissiones peccatorum, et indulgentiæ quocumque nomine nuncupatæ immunitates, et gratiæ, concedenda, tam per Romanos Pontifices, quam alios quoscumque Reges, Duces, Barones, Principes, Domina, et Communitates, in omnibus et per omnia ipsi toti Congregationi, et aliis ejus particularibus Monasteriis esse communia, & ad illa extendi, prout extendimus per presentes.

§.4. Insuper etiam ultra prædicta privilegia

AN. CH. 1512. Et ejusdem Observantia Regularis unitatem ubique servari precipit.

legia eidem Congregationi, ut præfertur concessa, hac perpetua, & irrefragabili constitutione, motu & scientia similibus sancimus, quod omnes & singuli dictæ Congregationis Canonici, Ordinem ipsum professi, presentes & futuri, quamvis in diversis monasteriis, sive locis pro tempore maneat, unum tamen corpus, & una Congregatio existant, ac sub una, eademque lege, atque observantia Regulari unitate, morumque conformitate, eisdem constitutionibus, privilegiis, ordinationibus, consuetudinibus, & statutis vivant, ipsaque Congregatio ab Apostolica Sede ultra centum annos instituta, & merito totiens approbata, ab universis Christi fidelibus in reverentia & devotione habeatur.

Canonicos veros eos esse declarat.

§.5. Decernentes, ut omnibus & singulis præminentibus, etiam in publicis actibus, ac privilegiis & gratiis, pro veris Canonici Regularibus, Ordinis & Congregationis prædictorum habeantur, & reputentur; prout hætenus fuerunt, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, tenore presentium, habemus, & declaramus: mandamusque quorumcumque locorum Dioecesanis, ut eos pro talibus in dictis singulis publicis, & aliis actibus censeant, ac etiam reputari. Nos enim eos, ut existentes veros, & indubitatos Canonicos Regulares Ordinis prælibati, quibus a dicta Sede Apostolica scapulare, quod insigne claustrale est, gestandum super Rocheto in præfata Congregationis primordiis, ex speciali munere & devotione donatum extitit, omnibus & singulis præminentibus, etiam in publicis actibus ac privilegiis, & gratiis, quibus quicumque alii Canonici possunt, & gaudent, potiri, & gaudere censuimus.

Privilegia & immunitates aliorum Ordinum huic Congregationi elargitur.

§.6. Adiciendum præterea, quod de cetero non solum prædictis præminentibus, privilegiis, & gratiis decorentur, quibus gaudent, in specie, vel in genere universi alii Canonici, verum etiam omnibus, & singulis immunitatibus, favoribus, indulgentiis, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, per nos, vel per quoscumque prædecessores nostros Romanos Pontifices, vel alias quomodolibet, seu Sedem præfata, tam præfato Ordini Canonorum Regularium Sancti Augustini, ac Congregationi de Frisonaria alias Lateranensis, Ordinibusque Eremitarum, & Servorum Beate Mariæ, & aliis etiam earumdem Congregationum, & Ordinum membris, & illorum personis, monasteriis, & locis in genere concessis, & pro tempore concedendis, quam etiam Congregationi Monachorum Sanctæ Justine, seu S. Benedicti Cassinensis, & ejus monasteriis, locis, membris, & personis hætenus concessis, ac illorum Ordinibus, & Congregationibus, quibus per eandem Sedem concessum extitit, dictæ Congregationis privilegiis posse gaudere, in omnibus & per omnia, absque ulla prorsus differentia, perinde ac si ea ipsi Congregationi Canonorum Regularium Sancti Salvatoris specialiter, & nominatim concessa fuissent, quorum tenores hic pro

Tom. III. Par. III.

sufficienter expressis haberi volumus, & non secus ac si presentibus de verbo ad verbum inserta forent, & quæ ad ipsam Congregationem sancti Salvatoris, & ejus Moniales, sive Sorores, ac personas oblatas, & commissas utriusque sexus, quæ sub illius Congregationis cura sunt, in illis videlicet, quæ ipsis coaptari possunt, extendi, ac illa eam pari modo cum prædictis comprehendere volumus, atque decernimus, cum ipsam Congregationem sancti Salvatoris censeamus, meritis & virtutibus suis non minora promereri, quam supra scriptas Congregationes, & Ordines, quos enim par labor conjungit, paria quoque privilegia conjungere debent. Cujus etiam Congregationis sancti Salvatoris Monasteria omnia, & loca prædicta, & eorum Prælati atque personæ, quibuscumque eis, ac aliis Congregationibus, & Ordinibus a Sede prædicta, vel alias qualitercumque concessis, ac de jure seu consuetudine debitis juribus, præminentibus, ac dignitatibus inconcussa gaudeant, & utantur; dummodo illa præmissis, ac aliis dictæ Congregationis sancti Salvatoris institutis, & constitutionibus non obstitant.

Capitulum generale dat facultatem statuta pro regime Congregationis præfate & commutandi.

§.7. Et dictæ Congregationis Capitulum generale, sive in eo vocem pro tempore habentes, pro felici successu ipsius Congregationis, sancti Salvatoris, statuta, constitutiones, & ordinationes, ac omnia, & singula, quæ in spiritualibus & temporalibus ipsius Congregationis, & ejus regularis disciplina statum, observantiam, indemnitatem, & circa divini officii celebrationem, directionem, & ordinationem (absque tamen ipsius Regulæ in substantia, vel in effectu variatione) interpretationem, vel declarationem quoquomodo concernere potuerint, auctoritate prædicta instituendi, ordinandi, interpretandi, & declarandi, ac ea, quæ sic instituta, ordinata, interpretata, vel declarata fuerint, in toto, vel in parte, prout rerum, vel temporum qualitas exegerit, tollendi, alterandi, modificandi, innovandi, corrigendi, emendandi, suspendendi, & in melius commutandi, plenam & liberam in omnibus habeant facultatem. Ita tamen quod nulla ordinationes in uno Capitulo generali decreta, ullam vim & locum habere possint constitutionis, nisi duæ saltem ex tribus partibus hujusmodi vocem in ipso Capitulo habentium concurrerint, & hoc ordine fuerint per duo alia immediata Capitula generalia sequentia comprobata, quæ sic ut comprobata fuerint, censeantur mox Apostolice roboræ communitæ. Quibus constitutionibus, decretis, ordinationibus, declarationibus, & correctionibus singuli de Congregatione hujusmodi, cujuscumque dignitatis, status, seu conditionis existant, efficaciter parere omnino teneantur.

Conteuentia nemq. ex contemptu tantum ad peccatum obligare declarat. Quisq. Prælati ut reformare.

§.9. Nolumus tamen, quod ad peccatum, nisi contra fiat ex contemptu, aliquem obligent.

§.9. Et quotiens Prælati aliquis, Monasterium, cui præfuerit reformare, & ad